29Cb

Ευδάμων ζῆν ἄριστον.

Amplissime et Nobilissime Heros

Excelsa fama nominis tuj me excivit has ut ad te mitterem, necessitas magnum imbecillitatis humanæ patrocinium, adegit, Patris mei Ericii Puteani tui amicissimi virtus suasit Regia vocatio coëgit. En hæ causæ sunt, quæ Serenissimo Principi, et tibi molestiam creant ignosce et quæ sunt sequentia magni momenti expende. 3 April Antwerpia discedens, appuli ad propugnaculum quod Crucis titulo insignitur, ubi pro instituto Commendatori loci Jacobo Colive testimonium Regium exhibui, qui parvi aut certe, ut dicam, nihili æstimavit, quasi ferrea me manu non secus ac in angustium compegit Hagam Comitum se scripturum asseveravit, scripsit itaq, quid autem et cui, me latet, nunc hic dego undecimum diem, quo me pro sua voluntate et inexplebili avaritia ad λύτρον 10 mil florenorum proscripsit magna certe summa et pro hoste jurato et capitali. Dolendum certe tales quod inveniantur, qui pro jure quaq injuria corradere nummos studeant. Liber sum ordinatione divina et Principum quidem suffragio ceu diplomate, qui librum præ manibus habeo. Præter ea quid est frui aut gaudere commendatione Regia, nisi liberum habere transitum! Transactum est à me iter sæpius Brabantiâ in Daniam per Bergam ad Zomam, et per Lillo, sed isti Gubernatores d. Morghen τὸν ἐν ἀγίοις, Buchowen d. Beverj non solum demiserunt liberum sed ad colloquium et mensam dignati fuere admittere, nunc quasi proditor aliquis reputatus latito. Per 12 annorum spatium peregrinando vitam trivi in Dania Norvegia Suecia, Polonia, Germania, Belgio, Anglia, Gallia Italia, et Hispania, nunquam in inclementiores incidi

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
29Cb
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3235

manus quod si autem viri severitatem praenovissem, in ipsius manus non venissem; sed simplici prudentia veni munitus testificatione Regia, nihil quicquam mali suspicatus cum antea iter a me transactum esset, quod et manus D. Gubernatoris severi ostendet quam sic inclito. Post hac si ex hac clausula Serenissimus Princeps velit eximere me, testimonium impetrabo, ne amplius in periculum incurram. Quapropter ad te confugio Generosissime Domine, qui potentia consilio plurimum apud Serenissimum Principem efficere potes, effice ut hac clausula primo ~~*~~ evadam, Deus opt. max. novit quam sic sim in angustiis, et studia inter arma non bene conveniunt. Si autem fieri minus potest, de quo tamen nullus dubito, Regi meo Serenissimo scribere cogor, a quo nunc vocor ut munus Bruxellis Praesidentis ambiam. Sed quid plura addo, res facilis est vobis, quae sic difficilis. Serenissimo Principi me commento, qui viso testimonio liberum pronunciet. Ante binos menses Ampl. Dnus Puteanus socer meus, tuum carmen subtilissima minerva compositum recte accepit, in quo totum theatrum Heroicum veluti corona redimitur, profundum fuit, et rapuit me et socerum in admirationem et venerationem. Plura ubi Deus voluerit coram exponam. Sic vale Illustris Heros et causam meam fideli manu suscipe, inter praeclara tua facta nomen tuum ultro commendabis immortalitati. raptim dabam ut ex contextu litterarum apparet. ~~Ex~~ Ex propugnaculo Crucis 11 April 1643.

Virtutum tuarum Heroicarum
strenuus cultor Petrus Paulus
Winding
m.p.

Dignetur etiam sua magnificentia tria rescribere verba ut sciam quid opus facto sit. vale.

Utor licentia ulterius, fretus humanitate tua, quomodo quæso λύτρον darem, qui Regis sum et non mei ipsius, etsi mihi persistendum esset in clausula per annum, tamen non ullum λύτρον exponerem, antequam Serenissimi nostri Principis voluntatem aut dispensationem scirem qui satis me pro illa qua fovet amicitia et affinitate cum Illustrissimo Principe Auransionum scripto eximat. sed interim patitur justus communiter ut jactitatur dictum. Expensas quis præterea solvet et hæreo, si interceptus essem, et non testificationem pro transitu libero haberem, res esset alia, sed tu mi Heros qui soceri mei intimus es fautor et mecænas, generum suum suscipe, virum invenies tibi addictissimum. Sic vale et pro tua singulari humanitate rescribe.

T. T. P. P. Winding
mp.

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
29Cb
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3235

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
29Cb
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3235